MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81613-13

AUTHOR:

KLEIN, JOS.

TITLE:

DE VARIA DISCREPANTIUM IN...

PLACE:

KOLN

DATE:

1862

Master Negative #
93-81613-13

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Klein, Jos
...De varia discrepantium in carminibus Horatianis scripturarum origine et emendatione, scripsit Dr. Jos. Klein... Köln, Bachem, 1862.
22 p. 26 cm.

At head of title: Programm des Katholischen gymnasiums an der Apostelkirche zu Köln...

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 14x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 7/27/93 INITIALS BAP
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

Programm

des

Katholischen Gymnasiums an der Apostelkirche

zu Köln.

Zweites Schuljahr. 1861—62.

Von dem

Director des Gymnasiums

Prof. H. Bigge.

Prof. H. Bigge.

Inhalt:

Köln.

Gedruckt bei J. P. Bachem, Verlagsbuchhändler und Buchdrucker.

1862.

I.

De

varia discrepantium in carminibus Horatianis scripturarum origine et emendatione.

Particula prior.

> Qui recte et sine superstitione uti optimorum codicum auctoritate volent, ii a singulis locis, in quibus dubitatur, animum referre debent interdum ad totam illam orationis formam, quae continua in codicibus offertur, ut meminerint, quantum ubique sordium et robiginis detergendum sit.
>
> Madvig Emendat. Liv. p. 205.

Quae in emendandis scriptorum veterum, poetarum maxime, monumentis post varia multarum aetatum studia critica nunc ipsum ingredienda praecipue atque insistenda esset via et ratio, luculento nuper ostendit exemplo Heimsoeth, vir omni doctrina politissimus, qui libro ad restituenda Aeschyli poemata scripto*) non solum copiosissimos fontes, unde praesentissima remedia ad veterum poetarum libros variis mendis liberandos manant, vel denuo monstravit vel primum reclusit, sed etiam certis rationibus et legibus sese astringens plurimas ex his fontibus hausit emendationes et Aeschyleas et Horatianas rerum fide nitentes ac stabilitas. Ac primum, ut totius libri summam paucis verbis complectar, veterum commentariorum reliquias, cum in librorum marginibus, tum vero inter ipsos versus servatas, (quarum hae prorsus adhuc neglectae iacebant), innumerabilem scripturarum antiquiorum earumque genuinarum, sed in codicum textu qui dicitur iam diu corruptarum multitudinem nobis tradere ostendit. Secundo loco felicissimorum huius aetatis in arte critica conatuum vestigia premens certae cuiusdam viae rationisque fines describit, ex qua graviorum illorum, in quibus critica adhuc maxime haerebat, mendorum curatio petatur, eorum quidem quae non sunt describentium errore nata, sed ex ea re duxerunt originem, quod veterum scripta in codicibus per multa saecula ferebantur larga annotationum copia ad marginem aut inter versus posita quasi saepta undique et vestita. Neque vero minus fida sunt, quae tertio, quarto quintoque loco posuit, subsidia atque adiumenta, quippe quae in eo cernuntur, ut penitus perspexerimus et metrorum leges numerorumque naturam et rationes, et liberum illum quem dicunt veterum in collocandis verbis modum, denique elocutionem cuiusque scriptoris propriam. Quae omnia cum subtiliter et copiose enucleavit, tum illustribus emendationum exemplis ad summam evidentiam atque perspicuitatem adduxit.

*) Die Wiederherstellung der Dramen des Aeschylus, Bonn 1861, et supplementum: Die indirecte Ueberlieferung des aeschylischen Textes, Bonn 1862.

Ego autem cum inter legendum hunc librum grata recordatione renovavissem iucundissimum illud tempus, quo mihi viri praestantissimi optimique praeceptoris intima licebat uti familiaritate, statim ad poetam Venusinum, ab Heimsoethio quidem in Graecis litteris versante non nisi obiter in singulis locis adhibitum, (ut digito monstraret, omnia illa, quae de Graecis docebat, in Latinis quoque scriptis locum habuisse) animum eo consilio applicavi, ut mendorum per multa saecula in codicibus natorum varietatem ita distinguerem ac separarem, ut turbam istam scripturarum discrepantium ad genera sua revocarem eoque rem criticam et faciliorem redderem expeditioremque et simpliciorem atque certiorem. Et profecto ne hodie quidem „omnia illa, quae ex scriptorum codicum collatione clare et ultro se ingerunt, praerepta iam esse et anticipata", id quod Bentleius, princeps ille criticorum, de suo tempore contendit: imo plurimum etiam nunc ex codicum scripturis recte intellectis diiudicatisque redundare salutis, hoc in Horatii quoque carminibus in animo est ostendere.

Etenim verissime Heimsoeth monuit, veram errores corrigendi artem ex quaestione de errorum origine pendere. Ea vero duplex potissimum fuit, cum altera mendorum pars ex calamo librariorum a vero aberrante fluxerit, altera ex interpretatione illa grammaticorum, qui veterum scripta in ipsis libris manu exaratis circumdare commentariis suis solebant. Ut igitur primum utriusque mendorum generis differentiam ante oculos nobis ponamus, apertissima est curisque saeculorum praeteritorum maxime tractata opima illa atque varia errorum seges, quae librariorum negligentia, levitate, inscitia effloruit. Quaecunque enim scribendo propagantur, cum negligentiae errores in se recipere soleant, tum accedit quod veterum libri illis quidem temporibus, quorum apographa ad nos pervenerunt, a scriptoribus transcribebantur et rerum antiquarum et linguae et artis non satis intelligentibus. Ita errores tum negligentia tum inscitia ortos ubique in libris manu scriptis deprehendimus. Nunc enim similes litterarum formas videmus confusas, ut si Carm. I, 1, 7 nobilium scriptum est pro mobilium, Carm. I, 35, 30 regens pro recens, Carm. III, 27, 69 luxit pro lusit, Carm. IV, 1, 7 iam dudum pro iam durum, C. S. 11 poscis pro possis, ib. 18 secreta pro decreta, Sat. II, 4, 74 inventor pro invenior; nunc litterarum ordinem invenimus turbatum, ut Carm. IV, 6, 32 partibus legitur pro patribus, Carm. III, 9, 9 riget pro regit, modo litteras omissas, ut Carm. I, 12, 29 defuit pro defluit, Carm. II, 1, 1 civium pro civicum, Carm. III, 13, 4 fons pro frons, Carm. IV, 5, 13 omnibusque pro ominibusque, modo super numerum additas, ut Carm. IV, 1, 26 tenebris virginibus pro teneris virginibus, Carm. II, 8, 20 saepe minanti pro saepe minati, Carm. II, 9, 21 Mediumque flumen pro Medumque flumen, Carm. I, 30, 4 transfert pro transfer. Cuiusmodi erroribus cumulatis saepe prorsus alia provenerunt vocabula, ut si Carm. III, 10, 6 plura legitur pro pulcra, Sat. II, 8, 43 gaudia pro gravida, Sat. I, 2, 5 moriens pro metuens. Non raro erroris causa erant scripturae compendia vel prorsus neglecta vel male intellecta et inter se permutata, velut Carm. III, 5, 37 hic legitur pro hinc, Sat. I, 1, 10 cantu pro cantum, ib. 11 urbe pro urbem, Carm. III, 24, 24 emori pro est mori, Epist. II, 1, 33 dictionibus pro doctius. Crebrius litterae vocum inveniuntur falso aut discerptae aut inter se iunctae, ut Carm. I, 2, 33 tum avis pro tu mavis, Carm. I, 18, 1 sacravi te pro

sacra vite, ib. 13 cumbere cinthio pro cum Berecyntio, Carm. I, 22, 17 pigri sub in ulla pro pigris ubi nulla, Carm. I, 35, 34 durare fugimus pro dura refugimus, Carm. I, 36, 15 des in tepulis pro desint epulis, Carm. II, 4, 3 collo removit pro colore movit, Carm. III, 5, 54 diiudicat alite pro diiudicata lite, Carm. III, 8, 12 consul et ullo pro consule Tullo, Sat. II, 6, 38 signata bellis pro signa tabellis. Est ubi verba falso iterantur, ut Carm. I, 37, 13 una una pro vix una, Carm. III, 27, 67 Venus et venusto pro et remisso, vel omittantur, ut Carm. III, 5, 9 sub rege Medo et Apulus pro Marsus et Apulus; nonnunquam integri versus omissi sunt, ut Carm. II, 1 versus 27 in cod. Turicensi. Vel transponuntur tum verba, ut Sat. I, 1, 10 sub galli consultor cantum pro sub galli cantum consultor, tum versus, ut Carm. III, 15 versus 15 et 16 inverso ordine leguntur in codice Bern. 363. Denique describentium aut oculi ad priorem vel sequentem versum aberrabant, ut si Sat. II, 6, 31 pro ad Maecenatem memori si mente recurras.

hoc iuvat et melli est, non mentiar. at —

in Goth. 2 scriptum est si mentiar, aut mens ipsa ad similes locos longe diversos, ut ex Carm. III, 27, 17 sed vides quanto trepidat tumultu in Carm. III, 20, 1 non vides quanto moveas tumultu traductum videtur esse pro quanto moveas periclo, ex Carm. I, 1, 13 ut trabe Cypria in Carm. IV, 1, 20 sub trabe Cypria pro citrea, ex Carm. I, 19, 3 lasciva Licentia in Epist. II, 2, 216 lasciva licentius aetas pro lasciva decentius aetas.

At prorsus diversum mendorum discrepantiarumque genus est, cum legimus Carm. III, 5, 51 „dimovit obstantes propinquos" et „obstantes amicos", Carm. III, 27, 48 „multum amati cornua monstri" et „cornua tauri", Carm. IV, 7, 17 „quis scit an adiiciant hodiernae crastina summae tempora di superi" et „crastina vitae", Carm. IV, 6, 12 „in pulvere Teucro" et „in pulvere Troico", Carm. III, 5, 25 „auro repensus scilicet acrior miles redibit" et „auro redemptus", Carm. IV, 6, 21 „ni tuis victus Venerisque gratae vocibus" et „ni tuis flexus — vocibus", Epist. II, 1, 216 „curam redde brevem" et „impende brevem", Epist. I, 7, 51 „cultello proprios purgantem leniter ungues" et „resecantem leniter ungues", Carm. II, 6, 24 „vatis amici" et „vatis Horati", Carm. III, 6, 10 „non auspicatos contudit impetus" et „inauspicatos contudit impetus", Carm. III, 2, 22 „virtus — negata temptat iter via" et „temptat ire via", Carm. III, 30, 12 „et qua pauper aquae Daunus agrestium regnavit populorum" et „agrestium regnator populorum", Carm. III, 19, 2 „quantum distat ab Inacho Codrus pro patria non timidus mori" et „Codrus non timidus pro patria mori", Carm. III, 24, 16 „aequali recreat sorte vicarius" et „aequali sorte recreat vicarius", Sat. II, 3, 303 „quid? caput abscissum manibus cum portat Agave gnati infelicis, sibi tum furiosa videtur"? et „caput abscissum demens cum portat Agave", Sat. I, 6, 126 „ast ubi me fessum sol acrior ire lavatum admonuit, fugio campum lusumque trigonem" et „fugio rabiosi tempora signi".

Ac primum hae discrepantiae maxima ex parte a litterarum similitudine prorsus recedunt. Quid enim vocabulis „propinquos“ et „amicos“, „victus“ et „flexus“, „purgantem“ et „resecantem“, „redde“ et „impende“ in litteris est commune? At in eiusdem sententiae similitudine versantur; nam si legimus Carm. III, 26, 9 „o quae beatam diva tenes Cyprum“ et „regis Cyprum“, vel Carm. III, 15, 2 „tandem nequitiae fige modum tuae“ et „pone modum“, vel Sat. I, 2, 110 „curasque gravis e pectore tolli“ et „e pectore pelli“, eadem sententia alio modo dicta est. Nimirum totum hoc variae scripturae genus non ex negligentia illa et inscitia librariorum manavit, sed ex grammaticorum explicatione, qua vestigia sententiae a poeta poetico modo expressae aliis verbis idem significantibus premebant. „Interpretes enim, ait Cobet, passim in librorum marginibus adleverunt aliquid explicationis, si quod antiquum vel rarius vocabulum vel aliqua dialectus vel nomen proprium occurreret, vel si quid ad sententiam explicandam aut supplendam sibi monendum videretur; vel si iudicium suum adscripserunt, ubi videbatur aliquid laudandum aut carpendum: quae omnia adscripta primum aut suprascripta tandem irrepserunt in textum, expulsis saepe genuinis succedentia, saepe in alienum locum inserta sensumque turbantia.“ Idque vel hodie in nostris codicibus licet observare, velut si Sat. II, 5, 36 eripiet quivis oculos citius mihi, quam te contemptum quassa nuce pauperet in cod. Sang. oppid. voci „quassa“ superscripta est interpretatio „vacua“; A. P. 301 o ego laevus voci „laevus“ in cod. Hisp. „amens“, Sat. I, 10, 58 versiculos natura magis factos voci „factos“ in cod. Bern. 21 „vel abtos i. e. aptos“, Carm. I, 19, 16 mactata veniet lenior hostia voci „hostia“ in cod. Bern. 363 superpositum est „vel agnus“, qua interpretatione grammaticus accuratius sacrificium Veneri faciendum indicabat. Cuiusmodi explicationes cum viderentur esse correctiones, a librariis in verborum contextum recipiebantur, ut Sat. I, 1, 46 in aliis codd. legitur non tuus hoc capiet venter plus **ac** meus, in aliis plus **quam** meus, quod in cod. Hisp. voci „ac“ superscriptum cernitur, vel in loco modo commemorato Sat. I, 10, 58 illud „abtos“, in cod. Bern. 21 superpositum, in cod. Goth. 2 in contextum irrepsit; nam quod illic legitur „magis albos“ de interpretatione illa „magis abtos“ descendere videtur; vel A. P. 203 pro tenuis simplexque foramine pauco cod. Parisinus scriptum offert foramine parvo pauco i. e. Graecum illud Horatii „pauco“ cum interpretatione Latina „parvo.“ Sic Virg. G. I, 351 atque haec ut certis possemus discere signis in cod. Med. voci „discere“ superscriptum est „no“ i. e. noscere, ib. IV, 41 pice lentius in cod. Bern. 172 tenatius, Ecl. I, 12 turbamur in cod. Gud. expellimur, G. IV, 331 duram in vitis molire bipennem in cod. Med. interpretamentum „validam“, quod in Palat. et Roman. in poetae orationem receptum est. Neque enim quod in Horatii carminibus conspicitur ab aliis scriptoribus abest, ut si apud Lucretium I, 252 „at nitidae surgunt fruges“ legitur et „surgunt segetes“, II, 1048 „in cunctas undique partes“ et „in omnes undique partes“, IV, 273 „multa facitque foris ex aedibus ut videantur“ et „ex aedibus perspiciantur“, IV, 369 „quod nos umbram perhibere suëmus“ et „perhibere solemus“; vel in Virg. G. II, 472 „exiguoque adsueta iuventus“ et „parvoque“, ib. III, 535 „montisque per altos“ et

„montisque per arduos“, vel, ut apud Hor. Carm. IV, 6, 21 „victus“ et „flexus“, ita G. IV, 399 „neque illum orando flectes“ et „orando vinces“, ib. IV, 441 „omnia transformat“ et „commutat“, ib. III, 465 „carpentem ignavius herbas“ et „segnius“, ib. III, 223 „reboant silvaeque et longus Olympus“ et „resonant silvaeque et magnus Olympus“, ib. II, 296 „bracchia pandens“ et „bracchia tendens“, ib. II, 187 „summis liquuntur rupibus amnes“ et „montibus amnes“, ib. II, 106 „quam multae zephyro turbentur harenae“ et „trudentur“ et „versentur harenae“, ib. I, 511 „Mars impius“ et „Mars improbus“, ib. I, 140 „magnos canibus circumdare saltus“ et „latos — saltus“, Ecl. IX, 25 „cornu ferit ille“ et „cornu petit ille“; vel in Propertio I, 7, 26 „tardus Amor“ et „lentus Amor“, I, 8, 11 „nec tibi Tyrrhena solvatur funis harena“ et „solvatur puppis harena“, I, 11, 13 „blandos audire susurros“ et „tenues audire susurros“, I, 15, 10 „olim“ et „quondam“, II, 10, 18 „capta manus“ et „victa manus“, II, 14, 5 „nec sic Electra, salvum cum adspexit Orestem“ et „vidit Orestem“, III, 3, 49 „ut per te — sciat excantare puellas“ et „exorare puellas, III, 13, 32 „plumae versicoloris avem“ et „varicoloris“ et „pluricoloris“, III, 22, 32 „exitium nato matre movente suo“ et „matre parante suo“.

Iam quaecunque huiusmodi exstant discrepantiae, ut ex alio fluxerunt fonte, ita etiam alio modo sunt tractandae. Calami lapsus, inquit Heimsoeth, a litteris proficiscens mutat sensum, mendum ex interpretatione ortum a sensu proficiscens mutat litteras. Itaque in diiudicandis huiusmodi discrepantiis relicta omnino litterarum similitudine inter poetam et interpretes eius discernendum est. Neque etiam codicum vetustate ac praestantia in hac re multum iuvamur, imo vel in antiquissimis ceterumque optimis codd. non raro interpretamenta locum occupasse invenimus, nimirum ex commentariis etiam in priorum temporum codicibus superscriptis in textum illapsa. Iam vero tales interpretationes non solum in uno aliove, sed saepe in omnibus codd. manum poetae obliteraverunt, neque ipsa tantum quae explicabantur verba commutaverunt, sed variis modis poetae orationem turbaverunt. Ut igitur in locis quam plurimis interpretationis vestigia noscamus, cauta et circumspecta nobis ingredienda est via. Sicut enim in calami erroribus ad varia scribendi genera variasque litterarum similitudines animus advertendus est, ita in hoc genere varias interpretationum formas in memoriam vocare debemus. Ac praesto sunt apud Horatium scholiastae, qui veteres commentarios excutientes imaginem satis claram nobis proponunt interpretationis Horatii carminibus adhibitae. Iam si quis ex his et singula interpretationis veteris genera sibi collegerit et commentandi modum, quo grammatici utebantur, observaverit, dici nequit, quantum et facilius, quaecunque ex hoc fonte natae sint mutationes, cognoscat et rectius medendi rationem inveniat. Contra qui neque distinguit inter errores sive ex calamo sive ex interpretatione profectos neque in hos accuratius inquirit, is neque horum mendorum copiam varietatemque cognoscet, et unam eandemque diversissimis corruptelis adhibebit sanandi rationem omnemque emendandi artem pessumdabit.

Itaque varietatem veteris interpretationis contextusque mutationes ex ea genitas in conspectu ponere conabor. Ac primum, ut omnis rei copia in singulos locos separetur, duplex

interpretandi genus distinguo: alterum, quod in formali ut ita dicam explicatione versatur, quae de singularum vocum formis, dictionis ratione grammatica verborumque collocatione agit: alterum, quod in exponendis sententiis rerumque enarratione positum est.

Veteres igitur grammatici ubicunque in vocabuli formam vel vetustiorem vel aliquo modo insolentiorem inciderunt, usitatam ac vulgarem formam annotare non negligebant. Ita in scholiis Horatianis ad Carm. I, 16, 4 sive flamma sive mari libet Hadriano videmus annotatum: „Adriano pro Adriatico"; ad Carm. II, 1, 1 motum ex Metello consule civicum: „civicum pro civile, sicut hosticum pro hostile veteres dixerunt"; ad Carm. II, 16, 38 spiritum Graiae tenuem Camenae: „i. e. Graecae Camenae"; ad Carm. III, 12, 3 mala vino lavere: „lavere pro lavare, sic enim veteres declinabant"; ad Carm. IV, 13, 20 quae me surpuerat mihi: „surpuerat syncope pro surripuerat"; ad Carm. IV, 15, 8 vacuum duellis: „duellis pro bellis"; ad Epod. 3, 3 edit cicutis alium nocentius: „edit pro comedat, sic enim veteres declinabant"; ad Sat. I, 2, 35 nolim laudarier — sic me: „i. e. hoc me laudari nolo"; ad Sat. I, 2, 113 abscindere soldo: „soldo pro solido"; ad Sat. I, 3, 53 caldior est: „caldior pro calidior"; ad Sat. I, 5, 79 nunquam erepsemus: „erepsemus pro erepsissemus". Iam vero librarii tales annotationes in membranis superscriptas in poetae orationem invexerunt. Ita Epod. 10, 15 o quantus instat navitis sudor tuis et 17, 54 non saxa nudis surdiora navitis in codd. Sang. oppid. et Hisp. vel metro repugnante „nautis" legitur. Carm. I, 36, 8 memor actae non alio rege puertiae pro hac forma, de qua scholiastae „puertia, inquiunt, pro pueritia per syncopen dixit", praeter alios codices etiam omnes Blandinios vulgarem formam „pueritiae" legisse Cruquius annotavit. Carm. II, 13, 8 pro venena Colcha in multis membranis, ut apud scholiastas, formae poeticae substitutum est possessivum „Colchica", quem errorem Bentleius primum ex Regin. et Bersm. cod. scriptura „Colchia" videri dixit emanasse; imo haec scriptura ipsa ex calami errore videtur provenisse pro „Colchica", qua forma grammatici adiectivum sermonis vulgaris annotabant, quod Latini quoque poetae Graecos secuti vitare solent. Epod. 9, 1 quando repostum Caecubum ad festas dapes plures codd. formam vulgarem „repositum" poetae obtrudunt, qua Porphyrio quoque ad h. l. usus: „ad hoc, inquit, repositum, ut non nisi ad festas dapes proferretur". Sat. I, 9, 27 est tibi mater, cognati, quis te salvo est opus?, ubi Acro „quibus, inquit, necessaria salus tua est", hanc vulgarem formam, quae metrum tollebat, secuta est in codd. nonnullis interpolatio quibus est te salvo opus, ex qua, restituta in hunc ordinem mutatum manu poetae, prodiit: quis est te salvo opus; quod si voluisset poeta, „quibus est" scripsisset. Sat. I, 2, 78 pro desine matronas sectarier, unde cet. primum grammatici formam vulgarem „sectari" annotarunt; quam in poetae orationem receptam (sic in nonnullis codd. scriptum est: desine matronas sectari) deinde, ut metrum servaretur, consecuta est interpolatio desine sectari matronas, quae legitur in cod. Bern. 363, al. Simili modo Sat. I, 9, 73 hunccine solem tam nigrum surrexe mihi (Acro: „surrexe pro surrexisse") intrusa in codd. nonnullos forma usitata, sed contra metrum peccans „surrexisse" in aliis interpolatam scripturam genuit tum mihi

surrexisse nigrum, et Sat. II, 7, 68 evasti: credo metues (Acro: „evasti pro evasisti") in aliquot codd. credo evasisti tentatum est. Etiam Sat. II, 3, 169 gnatis divisse duobus fertur (Acro: „divisse pro divisisse") aliquot codd. „divisisse" contra metrum habent; praeterea pauci vulgare „natis" substituerunt. Iam si Carm. II, 6, 5 pro Tibur Argeo positum colono, cui loco Porphyrio ascripsit: „Argeo pro Argivo antique dicitur", in vetustissimo Blandinio „Argivo" legebatur, mutabimusne propter vetustatem codicis Graecam adiectivi formam et Latinam vulgaremque restituemus? Imo etiam in antiquissimo ac praeclaro codice veram manum poetae ἑλληνίζοντος immutatam esse fas est arbitrari. Sic etiam Carm. III, 27, 34 pro quae simul centum tetigit potentem oppidis Creten et Carm. I, 15, 2 pro cum traheret — Helenen nonnulli codd. Latinas formas „Cretam" et „Helenam" exhibent. Neque si Epist. II, 1, 28 in codicibus legitur „si quia Graiorum sunt antiquissima quaeque scripta vel optima" et „si quia Graecorum cet. dubitabimus, quin hoc a grammaticis profectum sit, illud a poeta, qui per hanc epistolam Caesari Augusto scriptam sermone utitur gravi minimeque vulgari. Simili orationis tenore scripta est satira sexta libri primi ad Maecenatem, in qua v. 49 legimus: ut forsit honorem iure mihi invideat quivis, pro quo in codd. nonnullis „forsan" scriptum est. In carminibus autem Horatius ubique profanum quodque procul esse iubet. Quodsi Carm. III, 7, 4 constantis iuvenem fide legitur et constantis iuvenem fidei, non ex codicum vetustate vel multitudine iudicium petendum est, sed ex colore utriusque formae poetico; quaerendum igitur, utrum „fide" forma vetustate sit squalida an gravis; quorum illud contendere nolit, qui Virgilium Ovidiumque ea usos esse meminerit. Scribendum igitur est „fide," ut etiam Carm. II, 3, 18 quam Tiberis lavit retinendum est, quamquam veteres nonnulli codd. „lavat" habent, et Carm. I, 28, 19 densentur, non densantur, quod cod. Orell. c. exhibet.

Ad secundum pergamus locum, qui est de structura. Atque qua poetae utuntur insolentiore orationis conformatione, eam grammatici ad vulgarem dicendi rationem structuramque revocare solent, ita quidem ut quae vel leviter discedant a contrito dicendi genere silentio non praetereant. Ita scholiastas nostros commune dicendi genus annotare videmus, ubicunque casus a poeta liberiore modo usurpantur, velut Carm. II, 3, 26 omnes eodem cogimur, omnium versatur urna serius ocius sors exitura notam apponunt: „sors omnium versatur in urna"; Carm. I, 2, 9 piscium et summa genus haesit ulmo — natarunt aequore damae: „naturae contraria in diluvio contigisse dicit, ut in arboribus haererent pisces et silvestres damae in aquis natarent"; Carm. I, 11, 6 et spatio brevi spem longam reseces: „propter breve spatium"; Carm. I, 23, 2 vitas hinnuleo me similis Chloe quaerenti pavidam montibus aviis matrem: „Chloe vitat me similis hinnuleo quaerenti pavidam matrem in aviis montibus"; Carm. III, 2, 2 angustam amice pauperiem pati robustus acri militia puer condiscat: „aut in acri militia accipe aut per acrem militiam"; Sat. I, 4, 40 primum ego me illorum, dederim quibus esse poetis, excerpam numero: „ego me eximo de numero"; Carm. I, 2, 1 iam satis terris: „pro in terras misit"; Carm. I, 6,

l scriberis Vario: „victoriae tuae scribentur a Vario"; Carm. I, 29, 3 militiam paras non ante devictis Sabaeae regibus: „dativus casus est h. e. illis paras militiam, quod est adversus illos"; Carm. II, 6, 15 viridique certat baca Venafro: „Graeca figura dictum est illi certat pro cum illo certat"; Carm. IV, 10, 1 o crudelis adhuc et Veneris muneribus potens: „muneribus i. e. ob munera"; Carm. III, 13, 13 fies nobilium tu quoque fontium: „tu quoque inter nobiles fontes nominaberis"; Carm. III, 30, 12 et qua pauper aquae Daunus agrestium regnavit populorum: „adnotanda locutio per genetivum figurata"; Carm. I, 27, 4 Bacchum sanguineis prohibete rixis: „figura nova locutus est, cum dici oportuerit a Baccho rixas prohibete" cet.

Quid igitur? Num mirum est, eiusmodi interpretationes etiam in codicibus hic illic inveniri? Sat. II, 4, 7, ubi poeta: sive est naturae hoc sive artis, mirus utroque et Acro: „es optimus in utroque et in arte et in natura", in cod. Gottg., licet sic metrum tollatur, invenimus mirus in utroque. Sat. II, 7, 57 pro poetae verbis: altercante libidinibus tremis ossa pavore in cod. Goth. 2 repugnante metro legitur interpretatio per ossa pavore. Sat. II, 3, 48 qui tibi nomen insano posuere. velut silvis, ubi cet. cod. Mon. 3 velut in silvis exhibet. A. P. 378, ubi poeta: si paullum summo decessit, vergit ad imum, Acro annotat: „si modicum a perfectione recesserit, fit poema pessimum; si exiguum recesserit a summitate, vergit in vitium"; quod codd. aliquot Lamb. imitati sunt prave scribendo: si paullum a summo recessit. Nam poetae casum simplicem praeferunt, cui in sermone vulgari praepositio additur, rationem sententiae enucleatius significans. Ita Horatius Carm. I, 12, 29 defluit saxis agitatus humor, Carm. III, 28, 7 parcis deripere horreo — amphoram, Carm. I, 9, 23 pignusque dereptum lacertis, ubi in cod. Bern. 21 ex vulgari dicendi modo dereptum a lacertis scriptum est, et Sat. I, 1, 11 qui rure extractus in urbem est, ubi in cod. Guelf. 2 „a rure" apparet. Carm. IV, 10, 6 poeta dixit: quotiens te speculo videris alterum, pro quo cum Acro dicit in explicatione „mutationem formae per aetatem aspectam in speculo", tum plurimi codices, Bern. 363, Goth. 2, duo Bland., septem Lamb., Leidens., Regin., alii in speculo in verborum contextu habent. Et Sat. II, 2, 39 pro porrectum magno magnum spectare catino vellem codd. Berol. 1, Dess. 2, unus Bersm. et Feae exhibent in magno — catino. In Carm. I, 22, 14 coniunctum licet videre utrumque interpretationis genus huc usque notatum, ubi cum poeta Daunias latis alit aesculetis scripsisset, interpretes et Graecam formam in Latinam mutaverunt, et praepositionem „in" addiderunt; itaque cod. Bern. 21 et aliquot Bentl. exhibent Daunia latis, unus autem Pulm. et octo Pott. Daunia in latis alit aesculetis.

Iam cum talibus interpretationis additamentis syllabarum numerus, ubicunque syllabae non eliduntur, iusto plus augeatur, proximas in oratione syllabas nonnunquam videmus expelli. Ita Sat. I, 10, 66 quam rudis et Graecis intacti carminis auctor addita secundum vulgarem dicendi modum dativo poetico vocula „a" coniunctio „et" expulsa est in cod. Bas. 1, in quo legitur: quam rudis a Graecis intacti carminis auctor. A. P. 282 sed in vitium libertas excidit et vim iterata praepositio „in" (et in vim) coniunctionem „et" loco movit in cod. Bern. 21, ita ut libertas excidit in vim legatur. Sat. I, 6, 87 — neque ego essem questus: at hoc nunc laus illi debetur et a me gratia maior, cum grammatici ablativum „hoc" praepositione „ob" interpretati essent, in nonnullis codd. genuina sententiarum coniunctio syllaba illa redundante extrusa est, ut in Dresd. 2, Bas. 3, Gottg. 2 aliisque sic legatur: neque ego essem questus: ob hoc nunc cet. Simili modo Sat. II, 3, 4 quid fiet? at ipsis Saturnalibus huc fugisti addita praepositio „ab" vocem „at" expulit, ita ut multi codd. exhibeant: quid fiet? ab ipsis cet.

Certa dicendi differentia inter sermonem Graecum et Latinum cernitur in praedicatis voci „esse", vel „fieri", „videri", al. additis, quorum casus apud Graecos suspensus esse solet ex antecedente nomine, ad quod referuntur. Itaque Horatius, quem ubique videmus Graece cogitantem Graeceque loquentem, Epist. I, 16, 61 da, inquit, mihi fallere, da iusto sanctoque videri, neque mirum, quod in codicibus etiam interpretatio Romana da iustum sanctumque videri apparet. Sat. I, 6, 25 scripsit: quo tibi, Tilli, sumere depositum clavum fierique tribuno?, nec deest in codd. ex Romanorum consuetudine accusativus tribunum. Sat. I, 2, 51 praeter genuinum quaque modeste munifico esse licet etiam munificum, et Sat. I, 1, 19 pro atqui licet esse beatis etiam licet esse beatos in nonnullis codd. legitur. Quodsi Sat. I, 4, 39 in omnibus codicibus (modo in Dorv. 1 „is" superscr.) legitur primum ego me illorum, dederim quibus esse poetas, excerpam numero, haud arbitrandus est poeta suum cogitandi modum reliquisse, imo vero interpretatione grammatica in omnibus nostris codicibus manus poetae mutata est. Ac certum genuinae scripturae „quibus esse poetis" vestigium exstare videtur in annotatione Acronis ad Sat. I, 6, 25, ubi cum dicit: „fieri tribuno figurate per dativum, ut supra dederim quibus esse poetis", non hercle grammaticus putandus est memoriae lapsu graecismum finxisse, sed commentarios sequi, quos qui primum scripsit veram scripturam etiam tum ante oculos habuit in suo codice. Atque etiam Epist. I, 7, 22 pro vir bonus et sapiens dignis ait esse paratus aliquot codices interpretationis Latinae (dignis ait se esse paratum) partem exhibent: dignis ait esse paratum.

Ut ad Carm. I, 9, 5 dissolve frigus ligna super foco large reponens scholiasta annotavit: „super focum videtur dicere debuisse", ita Sat. II, 6, 3 pro et paullum silvae super his (ἐπὶ τούτοις) legitur etiam super haec, quod in prosa quidem oratione requireretur. Cumque vulgo dicatur, „redire ad aliquid", Epist. II, 1, 48 pro qui redit in fastos invenitur etiam qui redit ad fastos, et Carm. I, 32, 2 pro quod et hunc in annum vivat et plures in cod. Sang. monast. dictio vulgaris hunc per annum vivat comparet.

Atque etiam si Carm. III, 10, 18 nec Mauris animum mitior anguibus legitur et animo, pro certo haberi debet, graecismum ex manu Horatii, animo autem, licet inveniatur in multis bonisque codicibus, Bern. 21, Hisp., Sang. mon., Turic., tribus Pulm., duobus Bersm., omnibusque Bentl. praeter Graevianum, ex grammaticorum interpretatione Latina provenisse. Neque dubitandum est, quin Carm. I, 15, 21, ubi et non Laertiaden, exitium tuae genti, non Pylium Nestora respicis? legitur et exitium tuae gentis, quamquam hoc in vetustis codicibus, Bern. 21, Sang. mon., Hisp., Graeviano, Re-

ginensi apparet, illud a poeta scriptum sit, quod, cum integram sententiam „qui exitium tuae genti est“ exprimat, ut uberiorem dicendi modum poetae ursurpare solent. Sat. I, 1, 59 at qui tantuli eget quanto est opus pro „tantuli“ grammatici etiam „tantulo“ explicabant, quod inde in multis codd. legitur, et pro „quanto“ nonnulli „quantum“ scripserunt, ut Acro annotavit: „quanto est opus i. e. quantum sufficit“. Atque si Carm. I, 4, 12 in membranis legimus „nunc et in umbrosis Fauno decet immolare lucis, seu poscat agna sive malit haedo“ et „seu poscat agnam sive malit haedum“, non ex codicum pondere lis diiudicanda est, sed ex dicendi differentia, grammaticisque adiudicandus planior ille dicendi modus, quo proxime ipsa res obiecta significatur: seu poscat agnam sive malit haedum, poetae contra ea dictio, qua recurritur ad praecedens verbum „immolare,“ ita ut copiosius ille cogitaverit dixeritque „seu poscat, ut immoletur agna sive haedo,“ ut Virg. Ecl. III, 77 scripsit: cum faciam vitula pro frugibus, ipse venito. Iam cum similis prorsus locus legatur Epod. 17, 39 paratus expiare, seu poposceris centum iuvencos, sive mendaci lyra voles sanari, veri simile omnino est, Horatium hic quoque uberiori illa cogitandi ratione usum esse: „seu poposceris, ut peccata mea expientur centum iuvencis“; cumque re vera hoc in cod. Battel. scriptum inveniatur, cum Bentl. restituendum esse arbitror poetae. Neque mirum, quod Sat. I, 2, 53 pro dictione poetica verum hoc se amplectitur uno, hoc amat et laudat in cod. Bas. 1 vulgare „verum hoc amplectitur unum“ legi.

Poetarum est de rebus inanimatis tamquam de animatis loqui. Ita Horatius A. P. 360 verum operi longo, inquit, fas est obrepere somnum, cui, a vulgari dicendi genere prorsus alieno, non mirum est quod a grammaticis substitutum est opere in longo, quod in codd. Bern. 21, Turic., Regin. legitur, ut scholiastae explicabant: „in magno poemate, in tanto opere“. Similiter, licet metri ratio tollatur, Carm. II, 15, 7 pro tum violaria et myrtus et omnis copia narium spargent olivetis odorem in cod. Bern. 21 in olivetis invenitur.

Atque hoc etiam animadvertendum est, quod, quaecunque a poetis, ut eorum quae dicta sunt pondus augeatur, tacentur, ita addere solent grammatici, ut plenam et integram dicendi modum restituant. Ita veterum linguae copulam omittere possunt omittuntque scriptores, ut praedicati vim extollant. Eam vero adiiciunt interpretes, ut Sat. II, 1, 21 quanto rectius hoc: „i. e. quanto rectius est“; hinc in cod. Dresd. 4 quanto est rectius hoc legitur. Sat. II, 3, 16 pro quidquid vita meliore parasti ponendum aequo animo in cod. Bas. 1 vel metro non ferente scriptum est ponendum est aequo animo. Sat. II, 7, 63 pro in corruptorem vel iustior in cod. Feae 9, a. legitur in corruptorem est vel iustior. Sat. II, 7, 19 pro quanto constantior isdem in vitiis, tanto levius miser codd. Lips. 1. 2 et Berol. 1 exhibent tanto est levius miser. Sat. II, 2, 19 pro non in caro nidore voluptas summa, sed in te ipso est in cod. Guelf. 1 etiam in priori enuntiatione intrusa est copula: non est in caro nidore voluptas; quod cum metrum non ferret, in cod. Bern. 327 praepositio „in“ de loco cessit; ibi enim legitur non est caro nidore voluptas. Sat. II, 4, 48, ubi poeta scripserat nequaquam satis in re una consumere curam, voculam „est“ diversis modis in codices in-

trusam invenimus; in aliis enim legitur nequaquam satis est in re una consumere curam; quod cum metrum laederet, in cod. Lambethano interpolationem habemus nequaquam satis est in re una absumere curam; alii in metro cautiores copulam posuerunt, ubi elidi posset, ut in cod. Div. legitur: nequaquam satis in re una est consumere curam, et in cod. Regio: nequaquam satis in re una consumere curam est. Sat. II, 7 102, ubi poeta nil ego, inquit, si ducor libo fumante, copula „sum“ in cod. Mon. 3 laeso metro immissa est sic: nil ego sum, si ducor; cautius aliquot codd. Lamb. et Pulm.: nil sum ego, si ducor. Sat. I, 5, 49, postquam poeta scripserat namque pila lippis inimicum et ludere crudis, primum copula addita est in cod. Dresd. 3 post vocem „pila,“ ubi metrum eam ferebat: namque pila est lippis cet.; deinde, cum poeta, ut voces „lippis“ et „crudis“ efferret, verbum utrique enuntiationi commune ita debilitasset, ut secundo demum loco poneret in priori cogitando addendum, in cod. Guelf. 2 et priori enuntiationis membro redditum et copula addita est, ita ut metro prorsus laeso legamus namque pila lippis inimicum est ludere et crudis.

Si poetae rationem, qua verbum ex verbo pendeat, particula consueta non exprimunt, grammatici hanc addunt, ut ad Carm. III, 21, 7 descende promere scholiasta annotavit „descende ut promas“. Ita Sat. II, 6, 37 pro Horatiano orabant hodie meminisses, Quinte, reverti in cod. montis Pessulani 425 legitur orabant hodie ut meminisses.

Singularis praeterea veterum interpretum diligentia in eo cernitur, quod in coniungendis duabus vel vocibus vel integris sententiis logicam huius coniunctionis rationem verbis quam maxime expressis indicare solent, ut ad Carm. III, 24, 24 et peccare nefas aut pretium est mori annotarunt: „mortem pretium dicit esse et est sensus: et peccare aut est illis nefas aut est poena mori“. Ita etiam Sat. I, 1, 8 pro horae momento cita mors venit aut victoria laeta quattuor codd. Lamb. et unus Feae horae momento aut cita mors venit aut victoria laeta exhibent, et Epist. I, 2, 70 pro quodsi cessas aut strenuus anteis cet. in cod. Bad. 1 aut si cessas aut strenuus anteis scriptum est, in quo particula „aut“ ante „cessas“ inter lineas scripta locum voculae „quod“ occupavit. Atque Sat. II, 3, 181 pro is intestabilis et sacer esto in cod. Dorv. 1 legitur et intestabilis et sacer esto, ubi additum „et“, quod in cod. Sang. opp. inter lineas scriptum est, vocem „is“ expunxit. Ad Sat. II, 3, 246, ubi poeta verborum parcus sani, inquit, creta an carbone notati, scholiastae pluribus haec scribunt: „an creta notandi sunt, ut boni videantur, an carbone ut mali? et: in quam partem abeant, carbone notentur ut insani, an creta ut sani?“ Itaque etiam in codicibus et priori membro voculam interrogandi additam invenimus: „sani an creta an carbone“ et „sanine creta an carbone“ metroque correcto „sanin creta an carbone“, et interpretationem illam „ut sani“ hoc modo: sani ut creta; praeterea pro „notati“ interpretatio „notandi“ in nonnullis codd. comparet. Ad Carm. I, 27, 9 vultis severi me quoque sumere partem Falerni? scholiasta annotat: „si vestro vult me miscere convivio; deest enim si“. Iam cum poeta Sat. I, 3, 63 scripsisset simplicior quis et est, qualem me saepe libenter obtulerim, non est mirandum, si in cod. Dorv. 2 simplicior quis si est legitur et in cod. Gottg. 2 simplicior si qui est. Ita etiam Epist. I, 10, 4 poetae verba fra-

ternis animis quidquid negat alter et alter a grammatico commutata sunt in vulgarem logicumque dicendi modum: si quid negat alter et alter, quod codd. aliq. Lamb., Pulm. 1, Mon. b exhibent. Sat. I, 4, 116, ubi poeta sapiens, inquit, vitatu quidque petitu sit melius, causas reddet tibi; mi satis est, si cet., in codd. Gottg. 2, Dresd. 3, Guelf. 2, particula adversativa intrusa, scribitur causas reddet tibi; sed mihi sat, si cet.

Denique si poetae ἀσυνδέτως sententias ponunt, grammatici non possunt non illarum notare coniunctionem. Ita ad Epist. II, 2, 159 si proprium est, quod quis libra mercatus et aere est, quaedam si credis consultis, mancipat usus scholiastae explicant: „deest et, ut sit ordo et sensus. si proprium quod quis libra mercatus et aere est, et quaedam mancipat usus". Sic Carm. I, 15, 23, ubi poeta rhetorice urgent impavidi te Salaminius, Teucer, te Sthenelus sciens pugnae scripsit, primum interpretes coniunctionem „et" addiderunt; quae cum pronomen „te" expulisset ideoque metrum debilitasset, huic ut succurreretur voci „Teucer" particula „que" adiecta est, ut iam legeretur Teucerque et Sthenelus. Eiusdem originis videtur esse, quod in omnibus codd. legitur Sat. II, 3, 43 quem mala stultitia et quemcunque inscitia veri caecum agit necessariumque videtur restituere quod Meinekius posuit asyndeton: quem mala stultities, quemcunque inscitia veri caecum agit. Atque Epist. I, 7, 86, ubi poeta ἀσυνδέτως verum ubi, inquit, oves furto, morbo periere capellae, addita copula „que" in cod. Guelf. 1 sequens verbum corrupit: verum ubi oves furto morboque perire capellae. Carm. II, 3, 2, ubi codices aequam memento rebus in arduis servare mentem, non secus in bonis ab insolenti temperatam laetitia praebent et non secus ac bonis, prima specie praepositio „in" videri potest addita esse a grammatico; accuratius autem qui locum perpenderit, differentiam scripturae in eo versari cognoscet, quod poeta, postquam dixit aequam memento rebus in arduis servare mentem, prorsus ἀσυνδέτως addidit: „non secus in bonis (rebus memento mentem servare) ab insolenti temperatam laetitia", grammatici autem logicam sententiarum coniunctionem consectantes utramque sententiam ita copulare tentarunt, ut alterum non secus atque alterum (non secus ac bonis) memoria tenendum esse dixerint.

Alia eaque continua grammaticorum cura in eo versabatur, ut logico verborum ordine indicato intelligentiam poetarum aperirent redderentque faciliorem. Etenim ubique poetarum oratio ea re maxime splendet, quod vulgarem verborum collocandorum rationem relinquentes singularum vocum vim varie extollunt. Quod ut primum in scholiastis observemus, pauca ex illis exempla apponam et ea varii quidem generis. Cum enim poeta Carm. I, 7, 25 scripsit: quo nos cunque feret melior fortuna parente ibimus, o socii comitesque, Acro ita ordinem indicat: „o socii et comites, ibimus quocunque feret nos fortuna melior parente"; vel ad Carm. I, 31, 10: dives et aureis mercator exsiccet culullis vina Syra reparata merce, dis carus ipsis, quippe ter et quater anno revisens aequor Atlanticum impune, scholiasta annotat: „ordo est: et dives mercator carus ipsis dis, quippe ter et quater anno impune revisens Atlanticum mare, exsiccet

vina aureis culullis reparata Syra merce"; ad Sat. II, 3, 25 unde frequentia Mercuriale imposuere mihi cognomen compita: „ordo est: unde frequentia compita imposuerunt mihi nomen Mercuriale"; ad Epist. II, 1, 168 creditur, ex medio quia res arcessit, habere sudoris minimum: „creditur comoedia minimum habere sudoris, quia res arcessit ex medio; hyperbaton est"; ad Carm. I, 16, 2 quem criminosis cunque voles modum: „tmesis est pro quemcunque"; ad Sat. I, 4, 57 his — eripias si: „ordo est: si eripias his"; ad Sat. I, 6, 26 invidia accrevit, privato quae minor esset: „ordo est: quae invidia minor erat tibi privato". An mirum tibi videtur, quod huius grammaticorum industriae etiam in codicum scripturis deprehendimus vestigia? ut si Epist. I, 7, 72 pro ut ventum ad coenam est in codd. Feae 1, g. et Bern. d. legitur ut ventum est ad coenam; Sat. II, 6, 78 pro si quis nam laudat in codd. Lips. 1, Mon. 1. 3, Dresd. 2, Guelf. 1. 2 ordo vulgaris etiam ab Acrone hic indicatus invenitur: nam si quis laudat; A. P. 461 pro si curet quis in paucis codd. si quis curet; Sat. I, 1, 101 pro quid mi igitur suades? in cod. Guelf. 2 contra metrum quid igitur mihi suades; Carm. II, 7, 28 in cod. Bern. 21 metro repugnante recepto dulce mihi est furere amico pro dulce mihi furere est amico; Sat. I, 2, 69 usitatam formulam quid tibi vis?, quam illic metrum non fert, in cod. Goth. 2 legimus pro quid vis tibi? numquid ego a te cet.; Sat. II, 6, 35 pro ante secundam Roscius orabat sibi adesses ad Puteal cras in cod. Goth. 2 metro sublato legimus orabat sibi ad Puteal cras adesses. Ita genitivum voci, ex qua pendet, subnexum invenimus Carm. I, 3, 3 in cod. Turic., in quo legitur ventorumque pater regat pro ventorumque regat pater. Carm. I, 23, 12 in verbis poetae tempestiva viro sequi unus Bersm. et Dess. 2 verbum adiectivo, ex quo illud aptum est, apponere maluerunt scribentes tempestiva sequi viro, et Epist. II, 1, 149 pro in rabiem coepit verti in cod. Bern. 542 coniuncta legimus „in rabiem verti coepit". Ita etiam quas poeta miscuit duarum sententiarum partes reperimus separatas, ut si Sat. II, 7, 27 pro nequiquam coeno cupiens evellere plantam in modum interpretationis in cod. Feae 3, a. scriptum est nequiquam cupiens coeno convellere plantam, vel Sat. I, 3, 96 in cod. Orell. p. quis placuit paria esse fere peccata pro quis paria esse fere peccata.

Iam si quis ad hanc rem animum advertens varias codicum scripturas dispiciat, sexcenties sic poetae verba turbata variosque inde errores ortos esse inveniet. Non ignotum quidem in universum est hoc corruptelarum genus; at qui accuratius huiusmodi discrepantias colligere, singula earum genera distinguere, generum causas et rationes pensitare non neglexerit, is usu et experientia ductus certiorem sine dubio verbis poetae sive constituendis sive restituendis manum admovebit. Etenim interest, utrum criticus nihil videat quam verba varie posita neque alio impellatur diiudicandi momento quam codicum aestimatione lubrica, an vero iusto necessarioque iudicio dispescat duas vel plures verborum positiones, quarum una rebus apta sententiamque illustrans ab ipso poeta profecta sit manifesto, reliquae logicam verborum coniunctionem restituentes ornatum sermonis et significantiam abstergant, a grammaticis nimirum scriptoribusque in verba poetae illatae.

Ac primum quidem facile seiunguntur verborum vario modo in codd. collocatorum differentiae, quae casu ortae sunt, ab illis, quas grammaticorum manus consilio instituit. Cum enim, ut hoc tantum utar, Sat. I, 1, 10 sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat legitur et sub galli consultor cantum, nulla omnino cernitur variatae collocationis voluntas; casu igitur et calami errore manus poetae mutata est. At si Carm. III, 19, 2 in aliis codd. legitur quantum distet ab Inacho Codrus, pro patria non timidus mori, in aliis Codrus non timidus pro patria mori, consulto, quae logice cohaerent, sic collocata esse suspicaberis. Itaque singulas quasdam liberae illius collocationis figuras a grammaticis scriptoribusque mutatas percurram.

Poetarum usus adiectiva a substantivis suis disiungit, quo illorum vis augeatur fortiusque intendatur, quod ita tritum illis est et solitum, ut ab elegantia orationis poeticae separari non posse videatur. Quare poeta: quis multa, inquit, gracilis te puer in rosa perfusus liquidis urget odoribus grato, Pyrrha, sub antro? cui flavam relegas comam? vel: Dianam tenerae dicite virgines, intonsum, pueri, dicite Cynthium Latonamque supremo dilectam penitus Iovi. Quo vividior oratio, eo longius alterum ab altero distat, ut si legitur: **sublimi** feriam sidera **vertice**, vel: **suprema** citius solvet amor **die**, vel: **nullam**, Vare, sacra vite prius severis **arborem**, vel: **recepto** dulce mihi furere est **amico**. Iam grammaticorum interpretatio adiectiva iuxta substantiva ponebat, idque non raro in verbis poetae haesit. Ita poeta Carm. III, 24, 16 defunctumque laboribus aequali recreat sorte vicarius scripsit; in cod. Hisp. metro sublato legitur: aequali sorte recreat vicarius; Carm. IV, 6, 25 poeta: doctor argutae fidicen Thaliae, Phoebe, grammaticus in cod. Sang. monast. contra metrum doctor fidicen Thaliae argutae; Carm. IV, 10, 5 poetae verba: nunc et qui color est puniceae flore prior rosae, mutatus Ligurinum in faciem verterit hispidam intercedente grammatico in nonnullis codd. metro repugnante sic leguntur: mutatus Ligurinum verterit in faciem hispidam; Carm. I, 4, 13 pro pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas regumque turres unus cod. Bersm. et Dess. 2 in modum scholiastarum exhibent: pallida mors aequo pede pulsat; Carm. I, 10, 17 pro tu pias laetis animas reponis sedibus cod. Turic. metro laeso habet: tu pias animas laetis reponis sedibus. Idem non dubitabis quin factum sit Epod. 7, 15, ubi, etsi multi ac boni codd. exhibent tacent et ora pallor albus inficit mentesque perculsae stupent, poeta, quod in aliis revera legitur: et albus ora pallor inficit, scripsisse putandus est, quippe et gravius timoris vim describens et similitudinem figurarum (pallor albus, mentes perculsae) eleganti varietate declinans. Sat. I, 5, 61, ubi poeta de Cicirro: at illi, inquit, foeda cicatrix setosam laevi frontem turpaverat oris, in tribus codd. apud Feam verba „setosam frontem" videmus iuxta posita: setosam frontem laevi turpaverat oris. In eiusdem satirae v. 97 pro via peior ad usque Bari moenia piscosi in cod. Berol. 1 legitur moenia piscosi Bari. Et in fine huius carminis pro Brundisium longae finis chartaeque viaeque est codd. Bas. 3 et Guelf. 2 maluerunt adiectivum ad latus substantivorum ponere exhibentes: Brundisium finis

longae chartaeque viaeque est, in quibus poeta vitasset, ut puto, *ὕστερον πρότερον*, si metrum id tulisset, ut etiam Carm. I, 22, 23 non nisi metro coactus dulce ridentem Lalagen amabo, dulce loquentem scripsit, cum Sapphus ordinem a dulci ad dulcius progredientem (*ἀδὺ φωνεύσας ὑπακούει καὶ γελαίσας ἰμερόεν*) ne pressius sequeretur clausula strophae impediretur. Sat. I, 9, 29, ubi poeta exclamat: confice, namque instat fatum mihi triste cet., in cod. Mon. 1 et Gottg. 1 legitur namque instat mihi fatum triste. Sat. II, 7, 93, ubi Horatius urget enim, inquit, dominus mentem non lenis, grammatici manum senties constructionem explicantis in codd. Guelf. 1, Mon. 5, Sang. oppid., in quibus legitur: urget enim mentem dominus non lenis. Epist. II, 1, 56 pro aufert Pacuvius docti famam senis, Accius alti, primus cod. Schmidii habet famam docti senis. Item Carm. III, 10, 10 pro ne currente retro funis eat rota duo codd. apud Bentl. praebent ne currente rota funis eat retro, quod grammatici est recte quidem verborum structuram interpretati. Neque Epist. I, 1, 76 poetae verba bellua multorum es capitum casu mutata sunt, sed grammaticorum industria, si in codd. Dess. 2, Gottg. 1, Bersm. uno scriptum est bellua multorum capitum es. Epist. I, 17, 52 pro Brundisium comes aut Surrentum ductus amoenum in cod. Goth. 2 vel contra metrum est consociatum Surrentum amoenum ductus. Poetae manum agnoscis Epist. I, 20, 8: in breve te cogi, cum plenus languet amator, grammatici manum in uno Bersm., qui habet: cum languet plenus amator. Neque in singulos tantum vel pauciores codices tales grammaticorum curas irrepsisse, imo etiam in plurimos nonnunquam sive omnes, exempla docent, ut Carm. I, 12, 38, ubi, quod poeta scripsit Bentleiusque restituit: Regulum et Scauros animaeque magnae prodigum Poeno superante Paullum gratus insigni referam camena Fabriciumque, unus codex Reginensis servavit, ceteris omnibus prodigum Paullum superante Poeno exhibentibus, quod eo certius a grammaticis de grammatica verborum coniunctione sollicitis est profectum, quia, ut sententia recte pronuntiaretur, necessarium erat, ablativum „superante Poeno" in mediis his verbis collocare, cum sententia verborum, a poeta eleganti brevitate dictorum, sit: „qui, cum Poenus victor esset, magnae animae prodigum se praebuit"; quod ne prosa quidem oratio (si quidem tam breviter loqui illi liceret) aliter collocaret. Atque intelligenti usus iudicio Meineke Carm. IV, 1, 16 poetae restituit, quod necessario scripsit: et centum puer artium late militiae signa feret tuae, quamvis licet quotquot nunc sunt codices scholiastarum manum exhibeant: late signa feret militiae tuae. Non alia enim quam adiectivorum ratio est etiam pronominum possessivorum, quae a poeta separantur a substantivis suis, a grammaticis cum illis componuntur, ut Sat. I, 5, 30, cum poeta dixisset: hic oculis ego nigra meis collyria lippus illinere, in cod. Sang. oppid. scriptor prima manu „meis oculis" coniungens scripsit: hic ego nigra meis oculis collyria cet.

Dilucide adiectivi collocandi ratio in iis quoque cernitur locis, ubi praepositiones, ex quibus substantivum cum adiectivo suo pendet, consulto cedere loco coguntur, ut si Sat. I, 5, 28 poeta narrat: huc venturus erat Maecenas optimus atque Cocceius, missi magnis de rebus uterque, ubi codd. Guelf. 2 et Feae 1, i. dictionem vulgarem

exhibent: missi de magnis rebus uterque; vel Sat. I, 1, 55 magno de flumine mallem, quam ex hoc fonticulo tantundem sumere, ubi cod. Dess. 3 male praebet: de magno flumine mallem. Sic etiam Sat. I, 4, 50 pro at pater ardens saevit, quod meretrice nepos insanus amica filius uxorem grandi cum dote recuset in cod. Orell. p. legitur: filius uxorem cum grandi dote recuset.

Si in eadem sententia substantivorum par, adiectivo utrumque ornatum, componitur, separari utrumque adiectivum a substantivo suo solet, velut si substantiva cum genitivis suis sic quasi altercantur: Carm. I, 31, 5 non aestuosae grata Calabriae armenta, Carm. II, 12, 1 longa ferae bella Numantiae, Carm. II, 14, 14 fractisque rauci fluctibus Hadriae, et, quod Carm. I, 31, 5 necessario legitur: non opimas Sardiniae segetes feracis; vel aliis notionibus mixtis, ut Carm. II, 6, 22 ibi tu calentem debita sparges lacrima favillam, Carm. I, 20, 1 vile potabis modicis Sabinum cantharis; et bis in eadem sententia, ut Carm. I, 5, 13 me tabula sacer votiva paries indicat uvida suspendisse potenti vestimenta maris deo. Interdum tria paria ita miscentur, ut Carm. II, 9, 13 at non ter aevo functus amabilem ploravit omnes Antilochum senex annos, vel Sat. I, 5, 73 nam vaga per veterem dilapso flamma culinam Vulcano summum properabat lambere tectum. Non mirum, quod etiam talia grammatici ad normam logicae consecutionis ordinare student. Sic Epist. I, 2, 64 pro fingit equum tenera docilem cervice magister in cod. Feae 2, i. invenimus utrumque adiectivum substantivo suo redditum: fingit equum docilem tenera cervice magister.

Quae sic in adiectivis observavimus, ad omnia pari modo pertinent orationis membra. Quamcunque enim notionem intendere atque extollere volunt poetae, eam, a verborum cum quibus logice cohaeret societate divulsam, in illustri versus collocant loco, in quo aures mentemque auditoris insolenter tangens maiorem vim et significationem lucratur. Sic poeta Sat. I, 5, 26, ut Anxuris saxa calcaria splendidius describeret: milia tum pransi, inquit, tria repimus atque subimus impositum **late** saxis candentibus Anxur, quod eloquentissime candorem illum longe lateque splendentem designat. At non pauci codices tali nimirum loquendi insolentia offensi et „saxis late candentibus" contenti scripserunt: impositum saxis late candentibus Anxur, idque etiam editiones nostrae tenuerunt. Sat. I, 6, 69 poeta scripsit si neque avaritiam neque sordes aut mala lustra obiiciet quisquam **vere** mihi, ubi vis vocis „vere" eo, quod a verbo suo seiuncta est, intenditur. At hoc pauci tantum codices, in his Gothanus ille, qui ex vetere fonte emanavit, servarunt, longe plurimi, adverbio cum verbo suo iuncto, obiiciet vere quisquam mihi habent. Nec fortuito, puto, Sat. II, 7, 60 Dresdensis 3, quem recte Kirchner secutus esse videtur, exhibet: quid refert, uri virgis ferroque necari auctoratus eas, an turpi clausus in arca, quo te peccati demisit conscia herilis, contractum genibus tangas caput? quibus verbis ita ordinatis: quo te peccati demisit conscia herilis malae conscientiae metus obiter quidem, sed non illepide, imo sale vere Horatiano describitur; nam ea est huius scriptoris diligentia et subtilitas, ut etiam in minimis

aliquid ornati sequatur et venusti. At reliqui codd. omnes genitivum voci, ex qua pendet, iungentes exhibent: quo te demisit peccati conscia herilis.

Idem grammaticorum studium sub oculos cadit in locis, quibus vel coniunctiones et pronomina relativa, quae quam maxime solent praeponi, a poeta alius vocis efferendae causa reprimuntur, ut si Sat. I, 2, 74 in cod. Guelf. 1 legimus: si tu modo recte dispensare velis pro Horatiano tu si modo recte, vel Sat. II, 7, 40 cum tu sis quod ego in cod. Goth. 2 pro tu cum sis quod ego. Epist. I, 10, 23 pro laudaturque domus, longos quae prospicit agros in cod. Guelf. 3 irrepsit quae longos prospicit agros; Epist. II, 2, 172 pro tamquam sit proprium quidquam, puncto quod mobilis horae cet. in cod. Zwiccav. invenitur quod puncto mobilis horae; Sat. I, 7, 27, ubi poeta de Persio ante tribunal Bruti perorante: ruebat, inquit, flumen ut hibernum, fertur quo rara securis, in cod. Comb. b. ordo vulgaris quo fertur rara securis illatus est; Sat. II, 3, 298 poetae verba dixerit insanum qui me, totidem audiet Acro interpretatus annotavit: „si quis me dixerit insanum", atque in cod. Dresd. 3 legimus qui me dixerit insanum. Iam Epist. I, 2, 41, quod multi hodie codices habent: sapere aude, incipe. qui recte vivendi prorogat horam, rusticus exspectat dum defluat amnis, etiam vetustissimus Blandinius exhibebat. At hic quoque poeta primum eam, de qua maxime agitur „recte vivendi" notionem praeposuit, postposuit relativum; deinde, ut harum ipsarum vocum eam, in qua summa sententiae esset posita, extolleret, etiam adverbium „recte" non vulgari posuit loco scribens: vivendi recte qui prorogat horam, quod, neque casu profectum neque a grammaticis fictum, servatum est in codd. Guelf. 1 et Dess. 2. Alii plures scriptum offerunt: vivendi qui recte prorogat horam, qui pronominis quidem retinuerunt translationem, at vocem „recte" a verbo „vivendi" separantes sententiae perspicuitatem quodammodo turbant, cum nunc vocula „recte" a verbo suo seiuncta interque voces „qui" et „prorogat" collocata videri possit ad verbum „prorogat" (qui recte prorogat horam vivendi) pertinere. Sat. I, 9, 47, ubi poeta garrulum illum, qui Horatii lateribus suae ipsius fortunae causa adhaeret, sic fecit loquentem: haberes magnum adiutorem, posset qui ferre secundas, hunc hominem velles si tradere, primum Ed. Mediol. 1486, in qua legitur qui posset ferre secundas, fiduciae illius, qua garrulus Horatium in spem certam impellere studet, significationem debilitat, deinde aliquot codd. Torrentii, cum exhibent: hunc hominem si velles tradere, urgentis illius sedulaeque hominis molesti adhortationis vim, quam vox „velles" sic pronuntiata auget, diminuunt.

Collocatio verborum maxime illustris, quaque facetiarum vis mirifice augeatur, in itineris Brundisini, non sine singulari festivitate ac gratiosa iucunditate conscripti, duobus locis deprehenditur, in quorum altero (v. 82) poeta spem iucundissimam eheu! frustratam descripsit verbis: hic ego mendacem stultissimus **usque** puellam **ad noctem mediam** exspecto, quo verborum ordine et summum accusationis pondus in mendacem illam coniicitur, et poeta ipse se deridet lepidissime, denique temporis spatium, frustra speranti vel multo longius visum, exspectationisque molestia iucunde ante oculos ponitur. Nam, licet ex metri necessitate haec vocis „usque" positio primum prodierit, prorsus iocose sic ho-

rarum lentius repentium diuturnitas describitur, cum voc. „usque“ ita voce premenda sit menteque tenenda, ut super interpositam „puellam“ et finem versus ad „noctem mediam“ attingat. Alter locus in descriptione ignis in taberna Beneventina erumpentis (v. 72) legitur, ubi, cum Horatius scripsit: ubi sedulus hospes paene macros arsit turdos dum versat in igni, facetiae poetae lepide iocantis in eo sitae sunt, quod voce „macros“ inter verba „paene“ et „arsit“, cum quibus ex sententiae ratione omnino non cohaeret, posita tecte quasi et oblique admonet, ne dignos quidem fuisse istos turdos miseros ac macilentos, qui in igni versarentur. Sed harum facetiarum acumen obliterarunt duo codices, qui pro positione sane rarissima vulgarem subdiderunt ordinem hunc: paene arsit cet.

Singularis verborum collocandorum modus quique a nemine fortasse tantopere ad ornatam concinnamque orationis compositionem adhibitus sit, quantopere ab Horatio, in eo vertitur, quod notio aliqua, duabus orationis partibus communis, ita inter utramque ponitur, ut in alterius demum membri initio appareat, ut si pro „cum faber incertus scamnum faceret an Priapum“ dicitur: „scamnum faceretne Priapum“; qua loquendi ratione quivis facile sentiet notiones illas diversas (scamnum, Priapum) extolli. Saepissime verbum, quod grammatici dicunt, sic collocatum invenimus, ut si legimus Sat. I, 4, 67 at **bene** si quis et vivat **puris manibus**, contemnat utrumque, Carm. II, 7, 25 quis udo deproperare **apio** coronas curatve **myrto**, Sat. II, 3, 130 insanum te omnes **pueri** clamentque **puellae**; vel participium, velut Carm. III, 4, 11 **ludo** fatigatumque **somno**, Carm. II, 17, 14 sic potenti **iustitiae** placitumque **Parcis**, Sat. II, 3, 139 non **Pyladen** ferro violare aususve **sororem Electram**; vel substantivum, ut Carm. III, 24, 4 caementis licet occupes **Tyrrhenum** omne tuis et mare **Daunium**. Etiam adiectiva sic collocantur, ut Carm. III, 1, 12 **moribus** hic meliorque **fama**, vel adverbia, ut Epod. 2, 49 non me Lucrina iuverint **conchylia** magisve **rhombus aut scari**, vel coniunctiones, ut Sat. I, 4, 17 di bene fecerunt, **inopis** me quodque **pusilli** finxerunt animi. Est ubi notio tribus aliis communis sic inter alteram et tertiam ponitur, ut Sat. II, 3, 157 quid refert, **morbo** an **furtis** pereamque **rapinis**! ib. 182 in **cicere** atque **faba** bona tu perdasque **lupinis**. Nonnumquam plus una voce communis est et in altero demum membro pronuntiatur, ut verbum „est“ cum praedicato: Sat. I, 3, 129 ut quamvis tacet Hermogenes, **cantor** tamen atque optimus est **modulator**, vel aliae eiusdem sententiae partes, ut Sat. II, 3, 180 uter **aedilis** fueritve vestrum **praetor**, is intestabilis et sacer esto, vel Sat. I, 8, 34 **serpentes** atque videres infernas errare **canes**; etiam plurium verborum duobus membris communium altera pars in priori, in posteriori altera apparet, ut Carm. I, 22, 5 sive per **Syrtes** iter aestuosas sive facturus per inhospitalem **Caucasum** cet., vel Sat. I, 6, 87 at hoc nunc **laus** illi debetur et a me **gratia** maior. In omnibus huiusmodi locis pronuntiandis quivis, ut sententiam patefaciat, unam illam quae communis est notionem attenuata et depressa, sed duas alias, quibus illa communis est, elata voce recitabit. Cuius rei necessitas in quo posita sit, non difficile est internoscere. Ut exemplo utar: ad verba „serpentes atque videres infernas errare canes“ recte pronuntianda, ut patefiat et cohaerere vocabula „serpentes atque canes“ et pendere a verbo

„videres“, utramque vocem fortius intendis, sonum autem frangis eius quod interpositum est vocabuli „videres“, ne nexus illius perspicuitas turbetur, neve verbum „videres“, simpliciter cum „atque“ coniungi et ad solas voces „infernas errare canes“, cum quibus compositum est, pertinere videatur. Vel pronuntiante te verba Sat. II, 6, 56 quid? militibus promissa Triquetra praedia Caesar, an est Itala tellure daturus?, nemo intelliget, quid velis, nisi voce super reliqua extuleris verba „Triquetra“ et „Itala“, iis quae interposita sunt remissiore voce pronuntiatis. Iam grammatici singularem hunc verborum ordinem notare et ad vulgarem reducere non intermiserunt, ut si Sat. I, 8, 34 scripserunt: „sic fere instruit Horatius, ut coniunctiones non suo loco ponat, et est ordo: serpentes videres atque infernas canes“; vel ad Sat. I, 6, 44, ubi legitur: magna sonabit cornua quod vincatque tubas, „ordo est: quod vincat cornua et tubas“; vel Sat. I, 6, 65 ad verba atqui si vitiis mediocribus ac mea paucis mendosa est natura, „ordo est: si mediocribus et paucis vitiis reprehendenda est vita mea“. Itaque etiam in codd. vulgarem ordinem deprehendimus restitutum, ut A. P. 189 pro neve minor neu sit quinto productior actu in cod. Bern. 21 legitur neve minor sit neu quinto productior actu, et Sat. I, 10, 4, ubi, cum scriptum esset: hoc lenius ille, quo melior vir et est longe subtilior illo, varia scripturarum exorta est series, quae idem omnes spectabant, ut vocula „est“, in altero demum membro collocata, priori iungeretur; quod cum sic tentatum esset: quo melior vir est, denuo mox consecutae sunt interpolationes ad laesum metrum reparandum, velut quo melior vir adest, vel quo meliorque vir est cet.

Unum addere liceat verba collocandi genus, quo quae necessitudine quadam inter se attingunt notiones, ut magis illucescant, vel iuxta ponuntur vel chiasmi ordine collocantur, ut Sat. II, 6, 80 olim rusticus urbanum murem mus paupere fertur accepisse cavo, veterem vetus hospes amicum. Etiam huiusmodi figuras librarii grammaticos secuti transpositis poetae verbis tollunt. Sic Epist. I, 7, 44 pro parvum parva decent in cod. Feae 2, i. scriptum est: parva decent parvum. Epist. I, 6, 15 pro insani sapiens nomen ferat, aequus iniqui in codd. Feae 2, a et 6, b genitivo nomini suo apposito legitur: insani nomen sapiens ferat cet. Epist. I, 1, 52 pro vilius argentum est auro, virtutibus aurum in cod. Colleg. Trinit. scriptum est: vilius est auro argentum, virtutibus aurum. Sat. I, 3, 54 ubi poeta: haec res, inquit, et iungit, iunctos et servat amicos, in codd. Dess. 2 et Bas. 3, qui habent haec res et iungit et iunctos servat amicos, copula vulgari loco reddita, disiuncta vides, quae poeta apte et continuo cohaerere voluit. Atque Sat. II, 7, 71 pro o totiens servus! quae belua ruptis cum semel effugit, reddit se prava catenis in cod. Feae 2, g legitur se reddit, ut Sat. I, 4, 116 tibi reddet in cod. Mon. 1 scriptum est pro reddet tibi in verbis: sapiens — causas reddet tibi; mi satis est cet. A. P. 36 non magis esse velim, quam naso vivere pravo, spectandum nigris oculis nigroque capillo, ubi poeta notiones sibi oppositas ita appropinquavit, ut eo acrius altera cum altera inire certamen posset, in duos codd. Regios male irrepsit: quam pravo vivere naso spectandum nigris oculis. Epist. I, 15, 25 in verbis poetae eleganter

sic compositis, ut dorsum dorso quasi oppositum sit: scribere te nobis, tibi nos accredere par est, scriptor cod. Bas. 2 figuram illam ita solvit: scribere te nobis ac nos tibi credere par est. Atque ut Epist. I, 2, 10 pro quid Paris? ut salvus regnet vivatque beatus in codd. Bersm. uno, Jaeck. 5, Guelf. 2 scriptum est: ut regnet salvus vivatque beatus, sic idem veri simile est in omnibus codd. factum esse Epist. I, 6, 56 recteque Cuningamium pro si bene qui cenat bene vivit restituisse Horatio, sermonis ornati et elegantis artifici: si bene qui cenat, vivit bene.

Quaecunque adhuc attigi variarum scripturarum errorumque exempla, ea ex uno omnes fluxerunt fonte, ex interpretatione, quae in singularum vocum formis, dictionis ratione grammatica verborumque collocatione versatur, sive illa ab ipsis grammaticis profecta sive, quod idem est in hac causa, a scriptoribus codicum grammaticorum vice fungentibus. Atque si mihi das, et facilius et certius eas discrepantias diiudicari eosque emendari errores, quorum causam intellexeris originemque, non negabis, puto, tali qualem incepi variorum interpretationis generum compositione atque comparatione rei criticae opportunam afferri posse lucem. Sed plura nunc addere me prohibent huius scriptionis angustiae. In altera commentatione locum illum multo graviorem fructusque pleniorem tractabo de ipsorum verborum sententiarumque interpretatione, variarum falsarumque scripturarum procreatrice.

Index.